

Archimedes ostendere potuerit parallelogrammū altera parte longius, quod æquale esset circulo: attamē rem maximi momenti inuenisse creditur, quod latera istius parallelogrammi vtcunque circulo æqualis, iisdē partibus definiuerit: hoc enim ad praxin mechanicam perutile est. Quare non immerito reprehendēdi sunt, qui ab Archimedis inuento temere discedūt, finguntque parallelogrammum aliquod altera parte longius, cuius latus vnum sit furdum, & alterum certo numero definiatur. Quorum sane figmenta nihil conferunt ad vsum mechanicum: quin etiam horum auctores nunquam probare possunt, quomodo datum parallelogrammum altera parte longius, ex fundamentis geometricis æquale detur circulo proposito: de qua re prolixius dicemus in sequentibus. Hæc igitur est sententia Archimedis de proportione inter diametrum & circumferentiam, & de quadratura circuli, vt vulgus practitorum existimat.

Ostenditur quibus fundamentis nitatur quadratura circuli a Iosepho Scaligero excogitata.

CAPVT IV.

EDitus est liber nomine Cyclometricorum elementorū: cuius auctor in eos mirifice debacchatur, qui putant impossibilem esse quadraturam circuli: & asse-